



W. 40.

DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS  
DE ILLIS

QVI CAMBIALITER  
SE OBLIGARE POSSVNT  
PRAESENTIM

*secundum Reformationem & Ordinat. cambial. Francofurtensem  
de Anno 1739.*

QVAM  
EX DECRETO ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
IN ALMA LVDOVICIANA  
PRO

LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE CAPESSENDI

D. V. IVNII CICIOCLXXVIII.

H. L. Q. C

PUBLICO PROCERVUM ACADEMIAE EXAMINI

SUBMITIT

AVCTOR


IOANNES BUCHNERVS

MOENO - FRANCOFURTANVS.

GIESSE

apud IO. IACOB. BRAVN. Acad. typogr.

28



SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERAE REIPUBLICAE MOENO - FRANCOFVRTENSIS  
SENATVI AMPLISSIMO

VIRIS  
PERILLVSTRIBVS MAGNIFICIS  
GENEROSSIIMIS, PRAENOBILISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS PRVDENTISSIONIS

DOMINIS  
PRAETORI  
CONSVLIBVS  
SCABINIS  
SYNDICIS  
SENATORIBVS,

ET  
NOVEM EX IISDEM  
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS  
CONSILIARIIS ACTVALIBVS  
DOMINIS SVIS FAVTORIBVS  
PATRONIS ET MAECENATIBVS  
SVMME VENERANDIS.



VIRI  
PERILLVSTRES  
MAGNIFICI GENEROSISSIMI  
PRAENOBILISSIMI CONSVLTISSIMI  
AC PRVDENTISSLMI  
VIRI GRATIOSISSIMI



*VOBIS VIRI PERILLVSTRES consecro  
Vitae meae academicae frugum primitias,  
vtque eas VESTRA, que omnibus no-  
ta est, humanitate, benigne excipiatis,  
omni qua decet obseruantia rogo. Non ignoro quidem  
huius libelli dotes non tantas esse, vt VESTRA di-  
gnus sit perlustratione, inusitata vero illa, qua Musa-  
rum cultores complecti soletis, gratia, quaque conten-  
ditis vt earum Alumni, in VOBIS tutissimum ha-  
beant*

beant secundioris suae fortunae praesidium, spem mihi  
facit certissimam veniam VOS esse datus benignissi-  
mam, me audere, hunc ad VOS submissè deferre Li-  
bellum, eumque VOBIS sacrum esse iubere. Accipiatis  
igitur VIRI PERILLVSTRES & GRATIOSISSIMI  
hoc quidquid est pietatis meae monumentum, fauatisque  
auctori, qui totum Vitae suae tempus in eo collocabit,  
ut VOBIS & PATRIAE possit esse proficuus, qui-  
que Deum Ter Optimum Maximum precabitur, ut  
Vos ad maximum Patriae solatium ac salutem, quam  
diutissime conseruet, laetissimosque rerum omnium suc-  
cessus largiri velit. Id si fecerit mihi quoque fausta  
ac fortunata quaevis, certissime potero spondere ac pol-  
liceri.

## TANTORVM Nominvm

CULTOR DEVOTISSIMVS  
IOANNES BÜCHNERVS.





DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

ILLIS

QVI CAMBIALITER SE OBLIGARE  
POSSVNT

PRAESERTIM

secundum Liberae Republicae Moeno - Franfurtensis  
Reformationem & Ordinationem. cambial.

de Anno 1739.

§. I.

INSTITVTI RATIO.

Dolendum profecto, hodie in academiis plerisque praelectiones in *ius cambiale*, non tam a Doctoribus, quam praesertim ab Auditoribus plane negligi, cum tamen maxime necessaria sit Iureconsulto, rerum ad negotiationem spe-

A

stan-

stantium, & inter eas doctrinae de *Cambiis* praesertim in locis in quibus commercia florent, ad quos & patriam meam non immerito refero, solida & perspicua cognitio, arctissimusque inter Mercurium & Mineruam qui intercedit nexus, iam dudum a multis fit deductus. Mihi exinde, nec non omnibus, quibus Cambiorum notitia cordi erit, veneranda semper manebit Virorum illustrium memoria, qui in pertractanda de *Cambiis* doctrina, operam suam collocarunt, quorumque duplex formari potest classis, quidam nimirum iurisprudentiam illustrarunt mercatoriam, alii vero solummodo de *cambiis* tractauerunt inter quos ANTONIUS MERENDA, RAPHAEL de TVRRI, IO. MARTINVS VOGTIVS, AHASVERVS FRITSCHIVS, HENRICVS ZIPFELIVS, CHRISTIANVS KOENIGKE, IO. GOTTL. HEINECCIVS, CHRIST. IMMIVS, MAXIMILIANVS RAVMBVRGER, IAC. FRIDRIC. LVDOVICI, SAMVEL STRYKIVS, praesertim vero IO. GOTTL. SIEGEL & IO. CHRISTOPH FRANCKIVS omni laude sunt celebrandi. Pertractarunt vero nonnulli, quos nominaui authorum integrum de *Cambiis* tam *propriis* quam *impropriis* doctrinam vastis certe Voluminibus, alii vero Disputationibus & annotationibus ad huius vel illius loci Ordinationes cambiales aliquam solummodo iuris cambialis partem, euoluere sunt conati, quos & ego, nescio quo successu, imitari sum ausus.

## §. II.

## DE ORIGINÉ PECVNIAE.

Antequam natales cambii in genere inuestigare possim, ordo in omni, quamuis leuissima, tractatione obseruandus me iubet ad pecuniae originem descendere, paucisque ostendere verbis, quomodo homines sensim pedetentimque ad constituendum commune eiusmodi omnium rerum pretium peruererint; communione nimirum honorum inter homines sublata, qui libet propria fibi quaedam facere, & in potestatem seu dominium suum redigere coactus fuit, vnde primi nec non omnibus iam ex naturali iure noti, dominium acquirendi oriebantur modi; cum vero non omnia, quae ad vitae necessitatem spectant, possimus habere omnes, nec labore efficere, patet, ea ab aliis esse petenda, quod antiquissimis temporibus permutatione fieri solebat: quam innumeris vero difficultatibus hicce modus, quae ad vitamt uendam faciunt, comparandi erat obnoxius, neminem fugere spero, qui mentem fletit ad casum saepissime euenientem, quo omnibus, qui abundant iis, quibus egeo, illud, quod pro acceptis possim reddere, inutile est, nihilominus vero, illi nequidem naturalibus obligati sint Legibus ad gratuitam rerum suarum in me translationem: qua igitur ex causa emtio venditio omnino fuit introducenda, quae est contractus de re pro definito pretio in alterum ut illam fibi habeat transferenda, haec vero commune quoddam, ex quo omnium rerum pre-

B

tia,

tia, tanquam ex omnium consensu & placito constituta regula, metiri homines possent, requirebat. Placuit hominibus hanc non paruam praerogatiuam, non quidem necessario, sed ut mihi videtur prudenter, *auro* praeципue & *argento* tribuere, ex quibus monetae cudebantur, quarum gradus ad varia rerum pretia determinanda fuerunt apta, hacque via mercatura, cuius hic non immerito tanquam ciuitatum decoris panegyricum agere possem, ad debitam, propter hominibus quam affert utilitatem, peruenit vim ac florem.

### §. III.

#### DE CAMPIS IN GENERE NATALIBVS.

Quemadmodum vero in omnibus aliis a Maioribus ad nos translatis inuentionibus humanus semper altius surgit intellectus easque perfectiores reddit, ita & hic euenit: initio enim omne commercium in eo confiscebatur, quod merces certo pretio i. e. certa monetarum quantitate vel vendebantur vel emebantur, qui vero aliis ex regionibus prouentus vel artis vel terrae, quaerere vellet, quod olim rarius fieri solebat, dum aureis illis saeculis natura adhuc paucis erat contenta, monetas secum ferre omnino fuit coactus, ex post autem necessitatibus humanis mirum in modum auctis, adeo ut ex longissime remotis terrae partibus ad satisfaciendos sensus, artis vel terrae prouentus essent quaerendi, itinera a mercatoribus frequentius suscipi

fuscipi debebant, nundinae quoque & mercatus stri-  
ctiori sensu incipiebant, maxima vero semper mole-  
stia ex translatione monetarum oriebatur, vsque de-  
mum emunctae naris homines, qui perspiciebant, ci-  
unes huius loci seu Emporii ad satisfaciendos suos in  
alia mercuriali vrbe habitantes creditores istinc mitte-  
re pecuniam, alios vero posterioris vrbis incolas ad  
soluenda sua debita huic remittere monetas, consi-  
lio sane non imprudenti debitorum compensationem  
introducederunt, ex qua *cambium* nimirum *transfatum* seu  
*improprium* est ortum: cuius origo tamen a fixo quo-  
dam tempore & authore ob relationum historicarum  
defectum deduci haud potest, (a) sed omnia nituntur  
coniecturis, Romanis vero hoc cambiale negotium pla-  
ne ignotum fuisse inter omnes constat; (b) quamuis  
nonnulli omnia ex oceano iuris Romani deriuare cu-  
pientes dubitare sint ausi. v. g. Vir alias doctissimus  
VLRIC. HVBER. in *praelect.* ad p. tit. *mandati* thes.  
XII. Romanis tribuit cambii vsum quibusdam CICE-  
RONIS, nec non *corporis iuris rom.* locis motus; cu-  
ius vero refutatio hoc loco superflua foret, salua  
enim

## B 2

(a) GOTTL. GERHARD. TITIVS *iur. priuat.* Lib. X. cap. V.

§. VII.

(b) RAPH. de TVRRI disp. I. quaest. IIII. n. 9. - 19. CASP.

HENRIC. HORN de *praerogatiua morum Germaniae in con-*  
*cursu cum legibus recepis* sect. I. §. X. & qui plenissime  
hanc

enim omnium fere ex opinione res est eorum, qui Romanis cambii usum denegant, & certum potius est ex multitudine italicorum in hoc cambiali negotio occurrentium vocabulorum, Italis cambii inuentionem esse tribuendam, quod etiam a pluribus, qui de hac re tractant, scriptoribus est factum. (a). Quapropter longiori demonstratione, quomodo saeculo duodecimo ab Italib[us] inuentum, a Gibellinis vero Italia ciectis in Belgiumque se recipientibus ulterius propagatum & saeculo demum XV. in Germania fuerit introductum supersedere possum; foret enim ab instituto alienum, actumque agerem, potius me ad breuissimam cambii in genere delineationem conuertam, ut quilibet, quid in *cambio tam proprio quam improppio* sit essentiale quid vero accidentale seu ad bene esse tantummodo pertineat, uno quasi intuitu perspicere possit.

## §. IV.

hanc quaestione excusit GEORG. HENR. AYRERVS in diatribe de *cambialis instituti vestigiis apud Romanos*, quae tum inserta est *Viri eruditissimi Opusculari*, varii argumenti Tom. I. n. I. tum adiecta HEINECCIANIS elementis *iuris cambialis* ab VHLIO V. C. editis.

- (a) Maximus hic inter scriptores Dissensus v. g. PETERVS AVGVST. MORLA tribuit cambii inuentionem Gothis ac Longobardis, Iudeis vero Gallia expulsis IAC. SAVARY, nec non SAMVEL. RICARD. Contra Dr. IO. CHRISTIAN. KOENIGK cambium deriuat a negotiatoribus Lombardiam fac.

## §. IV.

## DE CAMBII APPELLATIONE.

Pluribus cambii denominatio germanicae originis esse videtur. Deriuant nimirum Cambium a voce Kamp, Kamm quod permutationem significat v. g. Rosz kamm, Restaucher Vid. ZIPFFEL de Cambiis P. 2. de quo vero ex mea sententia plane contrarium est statuendum, iam enim Veteribus nota fuit vox cambire, wechselt, de quo PRISCIANVS in FABRICII Bibliothe. lat. Tom. III. p. 740. & pag. 729. seq. legi potest: rarissime insuper a similitudine vocabulorum in diuersis linguis occurrentium ad deriuationem vnius ex altero certe concluditur: ponamus enim Italorum denominationes, Cambiare, Scambiare, Cambio, Scambio, germanicae originis fuisse. Quare igitur postquam in Germania cambiale negotium innotuit, hasce denominationes non retinuerunt, sed potius illud ob similitudinem quam hoc negotium cum permutatione habet, Wechsel nominauerunt. Mihi faltem ex eo patere videtur, quamlibet gentem sui Idiomatis vocabulo in denominacione cambii vti v. g. Cambium, Cambio, Scambio, Change, Lettre de Change, Wechsel, Wissel, Wexel. Ipsum igitur cambiale negotium Italis est adscribendum, denominatio vero cuiusque gentis est propria.

## B 3

## §. V.

saeculo XII. incolentibus. Alii vero aliunde; adeo ut hic tritum illud obtineat: *quot capita tot sensus.*

## §. V.

## CAMBII DEFINITIO.

Cambium, Littera cambialis, Lettre de Change, Lettera di Cambio, Wechselbrief, est breuis, vocem Wechsel continens scriptura ex qua alicui certa pecuniae summa ab alio soluenda est. Qua ex definitione apparet, cambium omnino speciem quandam conventionum constituere, ad illas vero, quae in iure romano occurrunt, non nisi erronee vel dubie indistincte & simpliciter referri posse. Non ignoro quidem pro specie permutationis plerumque haberi, sed quo iure, aut quo felici successu, ego quidem non video, cum tamen iura permutationis ad cambium non possint applicari, sed ius cambiale diuersam iurisprudentiae speciem constituat, id quod ex eo iam manifestum est, quod qualibet fere Vrbs mercurialis suam ordinationem cambiale habeat, in qua definitur quid circa cambium sit iuris. Potius igitur ex supra data, Cambii definitione perspicere licebit, quid in litteris cambialibus essentialem adesse debeat, adeo ut illo deficiente cambialis obligatio cessaet, alia licet existente obligatione; quid vero adesse & abesse possit salua cambii essentia, qua in pertraactatione, ordinatio cambialis francofurt. a nobis praecipue erit consulenda.

## §. VI.

## ESSENTIALE PRIMVM.

Essentiale primum consistit in scriptura, quae omni-

omnino iam ex natura huius negotii breuissima esse potest, & solet, cuiusque exemplum sit sequens cambii proprii formula:

Francofurti d. Maj. 1778. pro thal. 300. curr.  
monetae.

Vltimo Septembris ego soluam pro his meis propriis solis cambialibus litteris domino Ioanni Bréntino vel caussam ab eo habituro thaleros 300. monetae currentis thaleros inquam trecentos monetae curr. Valuta ab ipso. Praestabo accuratam solutionem, Deo in auxilium accepto.

Ioannes Büchnerus.

Mihi

Ioanni Büchnero

Francofurti

Sola.

Ad chartam quod attinet modo fit integra, ac pura, nec vitio visibili laboret, nihil praeterea v. g. quod fit signata; (*Stempel - Papier*) neque ex iure communi, neque ex ordinatione cambial. Francofurtan. requiritur.

### §. VII.

#### SECUNDVM CMBII ESSENTIALE.

Secundum in eo, quod vocis Cambii, Wechsel, in scriptura expressa fiat mentio, ex mea quidem sententia ponendum est. Cum vero non desint Icti, qui contrariam foueant sententiam, nec ordinatio cambialis

bialis Francofurtana hanc quaestionem expresse desinuerit, operaे pretium esse duco, argumenta quae pro hac militant sententia ponderare. Dissentient vero inter alios LEICKHER. iur. mercat. delibat. cap. II. §. XVII. illust. STRYCK de accept. Litt. cambial. cap. III. §. VIII. praeſertim vero celeberrimus IAC. FRID. LVDOVICI *in processu cambial.* c. 2. §. 8. qui putat, mentionem cambii plane non constituere requisitum necessarium, sed ad subtilitates, in processu cambiali non respiciendas, esse referendum, dum in omnibus ipſi notis ordinationibus cambialibus de hoc requisito nulla fiat mentio. Sed errat omnino Vir alias doctissimus. Quis enim aliis conuentionis cambialis effet character, quo ab aliis meris adſignationibus & chirographis possit dignosci? Ponamus quendam ſe ita obligaffe.

Laus Deo zu Frankfurt am Main den 12. May 1778. 100. Rthlr. 14. Tage nach Michaelis-Messe 1778. gelobe ich zu zahlen an N. N. die Summe von 100. Rthlr. ſage ein hundert Thaler allhier in Frankfurth, dessen Werth habe erhalten, verspreche gute Zahlung und nehme Gott zur Hülfe.

Nullibi, vti mihi persuasum habeo, ex hoc instrumento cambialiter agi seu pronunciari posset, sed solummodo *executiae* aduersus debitorem non soluentem proceditur, carcerem vero ingredi non tenetur. Imo ex mea sententia nequidem sufficit ad

pro-

producendum iuris cambialis effectum formula gegen  
diesen meinen Sola-Brief, in quo tamen celeberrimus  
*FRANCKIVS in Inst. iuris cambial.* Lib. I. Sect. I. Tit.  
VI. §. VIII. dissentit, hic enim mentionem vocis cam-  
bii quidem postulat, sed verba aequipollentia e. g.  
*Sola, prima, secunda* admittit, cautius nihilominus  
eum agere putat, qui ipsum Cambii nomen exprimi  
curat. Stant quoque pro mea sententia plurimi, iisque  
celeberrimi *ICti HELLFELD in iurisprud. forensi*  
Tom. I. §. 1073. *ZIPFFEL in tractat. von Wechselbriefen*  
fent sect. 7. pag. 219. *KOENIGKE in den Anmerkungen*  
über die *B. W. O.* §. 3. & ali qui omnes mentio-  
nem Cambii & quidem non immerito postulant, nisi  
scriptura vi iuris cambialis carere debeat. Ratio ve-  
ro cur ordinations cambiales illud non expresse re-  
quirant, in eo mihi latere videtur, quod hoc requi-  
situm iam ex analogia iuris sit necessarium, vi cuius  
quilibet contractus aliquid, quo se ab omnibus aliis  
distinguat contractibus, proprium habeat necesse est.

### §. VIII.

#### TERTIVM CAMBII ESSENTIALE.

*Tertium* in distincta debitoris & creditoris de-  
nominatione ac mentione temporis (*a*) quo solutio-  
C fieri

- (*a*) Nonnulli quidem existimant omissam in corpore litterarum  
cambialium solutionis Diem eas non vitiare arg. l. 41. §. I.  
π, d. *verbor. Obligat.* Maiori vero iure plurimi dissen-  
tiant

fieri debet, nec non in expressione summae, quae soluenda est, consistit; & hic quidem monendum videtur, quod in cambio neque vinum aut frumentum, neque alia res, sed semper certa pecuniae summa prominatur. Subscriptio denique vti in omnibus chirographis, ita & hic requiritur, nec sufficit sola sigilli appositi, quae facta subscriptione plane superflua est; perlustratis igitur *cambii essentialibus* ad *accidentaliam* conuertam, ex quorum defectu nimirum ad nullitatem cambii concludi non potest.

### §. IX.

#### ACCIDENTALE PRIMUM.

Accidentale primum consistit in *Inscriptione*, quae olim incipiebat ab inuocatione Dei, vnde ortum illud tritum in Cambiis *Laus Deo*, quod tamen superfluum est. Tota vero inscriptio v. g. *Lipsiae d. 12. May 1778. Th. 1000. current.* ad bene, minime vero ad necesse esse pertinet, adeo vt illa omissa cambium nihilominus subsistat; ideo enim solummodo introducta fuit, vt vno quasi intuitu in quo loco & tempore cambium sit datum, quamque contineat summam, perspici possit, sequitur exinde, quod si summa inscriptionis, cum illa in litteris cambialibus designata non conueniat, posterior, nimirum in cambio ipso indicata, omnino praeualeat, rubrum siquidem ex nigro intertiunt. Vid. MARPERGER. *quaestio[n]e d. mercatur.* part. III. p. 211.

terpretandum est. Vid. STRYCK de *cambial.* Litt. accept. c. 3. §. 16. ZIPFFEL von Wechselbrieffen Sect. 6. pag. 118. seqq.

## §. X.

## ACCIDENTALE SECUNDVM.

Accidentale secundum constituit *Valutae expressio*, quae licet in omnibus fere litteris *cambialibus* inueniatur, & raro omitti soleat, salua tamen *cambiali* obligatione negligi potest. *Valuta* vero nihil aliud est, quam *Valor.* s. pretium litterarum *cambialium*. Expressio eius utiliter quidem ob consuetudinem fere vniuersalem, minime vero necessario adiicitur, nisi in illis locis, vbi ordinationes *cambiales* id exigunt. Non possum igitur in sententiam eorum descendere, qui *Valutae expressionem* adeo necessariam putant, vt ea omissa executio secundum ius *cambiale*, plane fieri nequeat, consentiunt etiam mecum plurimum urbium mercurialium ordinationes *cambiales*; Verba *Ordinat.* *cambial.* Lips. sunt §. 3. Es sollen die Wechselbrieffe einen Weg wie den andern fünftig gültig seyn, es mag der empfangenen Valuta darin gedacht seyn oder nicht. Item disponunt die Ober-Lausitzische, Märkische, Magdeburgische, und Braunschweigische W. O. nouissima vero Francofurtana *Ordinatio cambial.* expresse quidem hac de re nihil disponit, ex hpho vero XLIV. patet valutae expressionem haud necessario requiri. En verba: Bey Bezahlung der verfallenen Wechselbrieffen ist ferner zu beobachten daß diejenige Wechselbrieffe welche recta und

Und nicht an Ordre zu zahlen ausgestellt sind und vor der Verfallzeit von dem Ausgeber wegen nicht empfangener Valuta der geschehenen Acceptation ohngehindert nach Wechselrecht contremandiret, dahero auch vorhero von dem Immhaber nicht verhandelt werden können, auf den Verfalltag und hernach in denen darzu gegründeten Discretions - Tagen recht und wohl, hingegen übel, wann es vorhero, es seye mit contanti, durch Scontro Compensation oder Contraposition zum Praeiusditz eines oder des andern tertii geschehen, bezahlet worden. Welchen letztern Falls solche Zahlung für ungültig gehalten, und dafür erlärt werden soll. Die andre Wechselbriefe aber, welche an Ordre gestellet oder an Ordre indossiret sind mag der acceptant oder bezogene oder auch ein anderer negotiiren, und an sich selbst zur Zahlung indossiren lassen, mithin die Wechselbriefe vor dem Verfall bezahlen. Secundum hanc dispositionem cambii dator, qui ob Valutam non acceptam in cambio trassato seu impropto solutionem Trassati impedire vult, illud nullo alio modo quam per Litteras aduisorias, antequam solutione iam facta trassans tenetur trassato, quamvis Valutam non acceperit, ad quam igitur non respicitur, praesertim in *Cambio proprio*, in quo Valuta seu causa debendi semper praesumitur. Valutae igitur expressio merito secundum *Ordinat. cambial. Francofurtens.* ad accidentalia refertur. Consentunt quoque a BERGER in *Suppl. elect. proc. execut. thes. L. posit.*

XXVIII.

XXVIII. pag. II. LUDOVICI in *processu cambial.* pag.  
29. ZANGER de *exception.* cap. XIV. num. 54. Alia  
vero res est, si, vti antea iam monui, lex specialis  
valutae expressionem requirat, tunc enim necessario  
adiici debet.

### §. XI.

#### ACCIDENTALE TERTIVM.

Ad accidentale tertium ex mea saltem sententia  
referenda est, clausula: *oder an dessen Ordre*, haec enim  
formula nullibi in ordinat. cambial. requiritur, quam-  
uis IO. LUDWIG SPAN doctissimus alias iuris cambia-  
lis patrii interpres cap. II. §. 10. a me hac in re  
dissentiat, atque huic verbo: *Ordre*, singularem quen-  
dam effectum ex §. 8. *Ordinat. cambial. Francofurten-*  
*sis* tribuere velit. *Vir Consultissimus* ita loquitur:  
Dass übrigens die Worte oder Ordre einen Effect haben  
müssen, solches ist nicht nur vernünftig, sondern erhellet  
auch aus dem §. 8. der W. O. allwo von einem Fall  
geredet wird, darin das Wort Ordre nicht attendiret  
werden solle, dahero a contrario zu schließen dass solches  
Wort in andern Fällen seinen eigenen Effect haben müs-  
se. Mihi vero hisce ex Verbis id, de quo quaeri-  
mus, sequi non videtur, vnius enim positio, non est  
alterius exclusio, & vice versa; potius statuendum igi-  
tur puto, quemlibet Creditorem ius suum in alium  
etiam absque debitoris consensu transferre posse, licet  
in litteris cambialibus desit formula: *oder an dessen*  
*Ordre*,

C 3

§. XII.

§. XII.

**CAMBII IN PROPRIVM ET IMPROPRIVM DISTINCTIO.**

Explanatis igitur quae in cambio necessario atque essentialiter adesse debent, iisque quae adesse & abesse possunt salua cambiali obligatione, antequam ad eos, qui ex *Ordinat. cambial. Francofurt.* se cambialiter possunt obligare, progrediar, notanda adhuc erit cambii in genere principalis distinctio. Cambii nimirum fieri debet solutio, & quidem vel a datore cambii ipso, vel ab extraneo. Si prius dicitur cambium *proprium* ein eigener, oder ein auf sich selbst gestellter Wechsel, item ein Wechsel im uneigentlichen Verstande cambium *impropriæ sic dictum*, quia ad exemplum cambii *proprie sic dicti* inuentum fuit. Si posterius vocatur cambium *improprium* seu *trassatum* ein uneigener Wechsel s. Cambium *proprie sic dictum* ein Wechsel im eigentlichen Verstande. Cauta igitur haec cambii epitheta: *proprium*, *improprium*, *proprie dictum*, & *impropriæ dictum*, distinguenda sunt, vti hoc contra errores ab aliis commissos recte & accurate annotauit. V. C. 10. DANIEL RUMPEL in *Diss. Quatenus Indossatario exceptiones ex persona indossantis opponi queant?*

§. XIII.

SERIES DICENDORVM.

Praemissa hac cambii delineatione, nunc statim ad eos, qui ex *Ordinat. cambial. & Reformat. Francof.* cambialiter se obligare possunt progredior. Sunt vero illi

illi vel mercatores vel non. Ab initio quidem non nisi  
mercatores cambialiter se obligabant, quoniam ad mer-  
caturam promouendam cambiale negotium solummodo  
fuerat introductum, sed & hi sunt vel maiorennes, vel  
minorennes, subsunt porro vel patriae potestatis veluti  
filiifamilias, vel potestati maritali veluti feminae. De  
singulis nunc erit dicendum.

§. XIV.

DE MERCATORIBVS MAIORENNIBVS SVB P. POTESTATE  
NON EXISTENTIBVS.

Ad Maiorennes sub p. potestate non existentes  
quod attinet, de illis, modo alias valide possint contra-  
here, plane dubitandum non est, eos cambialiter quo-  
que se obligare posse. Vid. *Ordinat. cambial. Franco-  
furt.* vbi Verba §. VIII. ita se habent. Soll zwar al-  
len und jeden welche ohnedem nach denen Rechten gültig  
contrahiren können Wechselbriefe zu geben erlaubet seyn  
die dann auch nach Wechsel-Recht gerichtet werden. Sub  
verbis: allen und jeden potissimum *mercatores* sunt in-  
telligendi, plures vero eorum in societate mercatoria  
existentes sunt omnino *correi debendi*. qui insolidum  
tenantur, & *Francofurt. cambial. Ordinat. pulcherrime*  
§. V. iubet: so sollen hinsüehro alle und jede sowohl hiesige  
als fremde Kaufleute die in einer Societät begriffen in der  
jenigen Vollmacht die sie einem aus der Compagnie oder  
einem andern der Compagnie-Geschäfte zu verrichten, auf-  
tragen, sich samt und sondes, ohne Auslassung einiges  
Mitverwandten nahmhafft machen &c. euimenti vero se-  
para-

parationis casui sequens *Ordinationis Francof. cambial.*  
 §. VI. prudenter, ad auertendum a Creditoribus quod  
 inde emergere posset, damnum prospexit. Verba  
 sunt: Würde eine Compagnie oder Gesellschaft sich zu  
 Seiten separiren und scheiden, so sollen die gesamte Socii  
 splices ihren Correspondenten, insonderheit ihren Credi-  
 toren, wie nicht weniger denen verordneten Wechsel- No-  
 tariis förderlich fund thun, oder in Entstehung dessen,  
 und bei vorgegangener heimlicher Separation gewärtig  
 seyn, daß sie in allen folgenden Negotiis für ihre vorige Ge-  
 meinere, nach wie vor, und als wenn die Compagnie noch  
 in völligem esse und vigore wäre, insolidum hafften, und  
 davor rechtlich conveniret werden können und mögen: Und  
 soll der Notarius die ihme notificirte Separation ad mar-  
 ginem der dem Protocollo eingetragenen Vollmacht zu  
 notirn, und auf der Börse fund zu machen schuldig seyn.  
 Haec sat clara sunt, adeo ut illustratione non indi-  
 geant.

### §. XV.

DE MAIORENNIBVS SVB P. POTESTATE ADHVC  
 EXISTENTIBVS ET QVIDEM SI MERCATORES  
 NON SVNT.

Patria potestas adepta maiorenitate sola nondum  
 soluitur, filio vero familias Senatus consultum mace-  
 donianum praesertim ex §. IV. Tit. I. Part. II. Refor-  
 mat. *Francofurt.* in omnibus obligationibus succurrit.  
 Verba sunt: mit denen Minderjährigen aber, so nicht  
 in Besitz der Vermündere oder Pflegere sondern in p.  
 pote-

potestate das ist ihres noch lebenden Vaters oder väterlichen Anherrens Gewalt seyn und in latein filiifamilias Haussöhne genannt werden, obwohl dieselben so haben doch sie desgleichen ihre Väter und väterliche Anherrn in deren Gewalt seyn der Exception. SCt. Macedon. auch anderer Gethalten der Rechten, wenn die gemachte Schuld an sie erfordert wird, dagegen sich zu behelfen, und seyn solches entlehnet Geld zu bezahlen nicht schuldig. Hic quidem mihi obiici posset, Reformationi hoc loco sermonem esse de minorenibus qui sub p. potestate existunt, propterea illud ad Maiorennes trahi non posse; sed conferri hic debet celeberrimus ORTHIVS in annotationibus suis ad hunc Reformationis sphum, vbi recte obseruat, inter ius patriae & romanum, quod Senatusconsultum Macedonianum filiifamilias etiam maiorenibus tribuit, hic plane nullam adesse differentiam, hoc vero in loco minorennum ideo mentionem solummodo fieri, quia circa illos casus faepissime occurrat. Ad maiorem vero huius explicationis probationem legi debet Pars II. T. XI. §. 12. Reformat. francofurt. vbi expresse nominantur die Haussöhne, & illi so noch unter ihren vollkommenen Alters Jahren seyndt, & circa ambos idem ius statuitur. Si igitur quaeritur, quid iuris sit circa obligationes cambiales maiorennum sub patria potestate existentium? cum distinctione respondendum esse mihi videtur. Agunt nimirum mercaturam vel non. Posteriori casu ex mea sententia plane se non possunt cam-

D

cam-

cambialiter obligare. Ratio in eo latet, quod licet cambialis obligatio maior quidem & validior sit omnibus aliis, *Reformatio tamen francofurt.* in omnibus obligationibus, ex causa mutui pecuniarii contractis, succurrit filiisfamilias SCti Macedoniani beneficio, ideoque cambialis excepta dici nequit. Quod etiam ex §. IX. *Cambial. Ordinat. francofurt.* patet; in eo enim tantummodo de minoribus (sue quibus & filiisfamilias intelligi debent) mercaturam agentibus, quid iuris obtineat, disponitur, ex eo vero quod mercaturam non agentes silentio praetereantur, omnino colligi debet, de illis rem claram & certo certius esse, quod cambialis eorum valere non possit obligatio, de quo & neminem dubitare spero.

§. XVI.

**DE FILIISFAMILIAS MAIORENNIBVS, QVI MERCATVRAM AGVNT, SEPARATAM VERO OECONOMIAM NONDVM INSTITVERVNT.**

Vtrum modo dictis personis in cambiali obligatione SCtum Macedonianum subueniat, dubia & anceps est quaestio. V. C. ORTHIVS in *annotationibus ad Partis II. Tit. I. §. IV.* putat, quod filiusfamilias, quamvis patre sciente negotietur, exceptionem Senatusconsulti Macedoniani nihilominus indistincte non amittat, sed tum demum si pater in cambiale debitum consensum praebuisset, quoniam iuxta *Francofurt. Reformation.* sola mercaturae institutio absque separata oeconomia a patria potesta-

te

te non liberet, §. insuper XIII. Titt. XI. Part. II. verba contineat: Doch dagedachte Kinder solch entlehnnet Geld in ihren oder ihrer Eltern scheinbarlichen kundbaren Nutzen, angewandt hätten, oder mit Wissen und Zulassen ihrer Eltern kaufmannsweise handelten und dieselben solch aufzuborgen hernach genehm hiltent. Allegatis ex hisce verbis manifestum est, totam controuersiam eo redire, num particula und hoc loco disiunctionem aut coniunctionem significet? Posterius defendit illustris ORTHIVS, a quo vero dissentunt Viri magni certe nominis LAVTERBACH in comp. π. p. 249. & Colleg. theoret. pract. §. 9. nec non de LVDEWIG in Opuscul. miscell. Tom. I. lib. 3. opuscul. 4. de mutuo diff. 7. not. nn. qui omnes existimant ad amittendam exceptionem SCt. Macedon. sufficere, filium consentiente patre negotiari, in quorum sententiam & ego descendere me video coactum; venerandus enim ORTHIVS ipsemet ad ius romanum prouocat, eique hac in doctrina omnem vim tribuit, quod etiam *Reformatio francof.* imitatur, dum §. XII. Tit. XI. Part. II. ita incipit als auch in den fayserlichen Rechten verordnet, so jemand Haussöhnen oder Kindern &c. Ex iure romano igitur decidenda est controuersia de particula und in *Reformat. Francof.* loco allegato occurrente. Lex vero 7. §. II. π. de SCt. Maced. ita loquitur. *Interdum tamen et si SCto --- --- --- Sribit enim Julianus lib. 12. quamquam si ipse pater eum (nimirum filium) praeponeret merci suae, vel peculiarem exercere passus esset,*

D 2

cessa-

cessaret SCtum, quoniam patris voluntate contractum vi-  
 deretur, nam si scit eum negotiari, etiam hoc permis-  
 se videtur, si non nominatum prohibuit, merces accipere.  
 Verba haec mihi adeo clara videntur, vt non pos-  
 sim non particulam und coniunctive interpretari, ita  
 nimirum, vt verba Reformationis intelligenda sint:  
 oder mit Wissen und Zulassen ihrer Eltern kaufmanns-  
 weiss handelten, und dieselben solch anborgen hernach,  
 quod idem est ac gleichsam hierdurch, genehm hiltent.  
 Minime igitur necesse est, vt particula und mutetur  
 in oder, quod LVDOVICI fecit, sed vocabulum her-  
 nach ex contextu & analogia iuris romani idem ac  
 gleichsam hierdurch hoc in loco significare existimo;  
 quamuis & LVDOVICI interpretatio quodammodo  
 admitti possit. Persuasum igitur mihi est, hic non  
 adesse disiunctionem, sed posteriora verba und dieselben  
 solch aufborgen hernach genehm hiltent, tantummodo il-  
 lud, quod praemissum fuit, magis declarare & con-  
 firmare. In cambiali vero negotio plane extra du-  
 bium positum est, contra filiumfamilias negotiantem,  
 qui cambialiter se obligauit, etiam actione cambiali  
 agi posse. Patet id ex §. IX. *cambial. ordinat. fran-*  
*cocurt.* vbi verba ita se habent. Alldieweil auch in de-  
 nen gemeinen Rechten  
 wann aber gleichwohl ein minderjähriger Negotiant seine  
 eigene oder Compagnie Handlung trieb Wechselbriefe aus-  
 stellete, und darin zu etwas sich verbindete mithin das-  
 durch pro maiorenni in der That sich aufführte, so soll  
 er

er dasselbe zu halten schuldig und mit der suchenden Restitution in integrum nicht zuhören. Haec enim de minoribus dispositio, eo magis de *filiis familias maioribus* mercaturam agentibus valere debet. Ceterum cum *Ordinatio cambial.* ratione *reformationis francofurtanae* sit posterior lex, quae semper derogat priori, in allegato §. ordinat. *cambial.* authentica illius loci *Reformationis*, de quo controversia est, reuera continetur interpretatio.

### §. XVII.

#### DE MINORIBVS ET FEMINIS MERCATVRAM EXERCENTIBVS.

Circa minores quid iuris ex *Ordinatione cambiali francofurtana* obtineat, iam incidenter paragraphus antecedens illustrauit, ad *feminas* vero, quod attinet, illas, si mercaturam non agant, cambialiter se obligare non posse, patet ex §. VIII. *cambialis ordinatione francofurtana*. vbi verba sunt: wie auch der Weiber, so nicht handlen, ausgestellte Briefe anders nicht als Schuld-Scheine angesehen, und also in Rechten, nach Ausweis hiesiger Stadt: Reformation tractirt das Wort Ordre aber, wenn es schon darinn enthalten, gar nicht attendirt werden, ex quo vero merito colligitur, de feminis mercaturam agentibus contrarium obtainere. Ceterum in decidenda quaestione, vtrum mulier se cambialiter obligare potuerit nec ne, semper ad tempus contractus, nimur quo littera cambialis data fuit, respiciendum est. Ponamus igitur mulierem tempore

D 3

fo-

solutionis, mercaturam non amplius agere, nihilominus cambialiter tenetur. Vid. **LVDOVICI** Disp. de muliere cambiante §. XXX.

### §. XVIII.

#### QVID IURIS CIRCA ALIOS MERCATVRAM NON EXERCENTES.

Ab initio nimirum, non nisi mercatores cambialiter se obligabant, eorum enim causa cambiale negotium fuit introductum. Postea vero perspecta cambialis obligationis utilitate, & alii, qui mercaturaे operam non dabant, v. g. Eruditi, Opifices &c. cambialiter se obligare incipiebant, de quibus omnibus paragraphus VIII. *Ordinat. cambial. francofurtan.* ita disponit: Soll zwar allen und jeden welche ohnedem nach den Rechten gültig contrahiren können, Wechselbriefe zu geben erlaubet seyn, die denn auch nach Wechsel Recht gerichtet werden, nunc vero sequitur restrictio: allen Handwerks und andre gemeinen Leuten aber, so unter zwey tausend Gulden jährlich verschäzen, (es sei denn daß ihrer vier oder mehrere von einem Handwerk sich zusammengeschlagen) soll verbotten seyn Wechselbriefe auszugeben: id quod ex mea sententia prudenter fuit dispositum, semper enim iudici in dijudicanda cambiali obligatione, respiciendum erit ad debitorem, num quoque vim & rigorem cambialis obligationis probe intellexerit, inde nequaquam consentire possum Dom. de **LVDEWIG** qui & rusticos se ita obligare posse

posse affirmat, cum tamen eius generis hominibus  
cambiale negotium plane sit ignotum & *Ordinat. cambial. altenburg.* merito excipiat gemeine Bürger und  
Bauern, quod *Ordinat. cambial. francofurt.* omnino imi-  
tatur, dum ponit *gemeinen Leuten*, ex quo patet *Ordinat. cambial. francofurt.* non solummodo ad opes,  
sed ad id praeferit respicere, utrum se obligantes,  
negotium cambiale quoque intelligent. Ponamus igit-  
ur melioris conditionis virum, ad quem vocabulum  
*gemeiner Mann* trahi non potest, se cambialiter ob-  
ligasse, quamvis duo millia florenorum in bonis non  
habeat, neminem fore spero, qui dubitet contra eum,  
cambialiter agi posse, summa enim in *Ordinat. cambial.* statuta ad eos solummodo spectat, quos vulgo  
vocamus *gemeine Leute*; ad hos vero quinam sint re-  
ferendi nec ne? eius definitio iudicis arbitrio est re-  
lata.

### §. XIX.

#### *CLERICI CAMBIALITER SE OBLIGARE NON POSSUNT.*

Iam in paragraphis antecedentibus incidenter de  
illis qui cambialiter se obligare non possunt, vel quia  
beneficia iuris ipsis succurrunt, vel quia legibus im-  
pediuntur, simul tractauimus. Dantur vero insuper  
quaedam personae, qui, ex status, quem habent, condi-  
tione, & ob scandalum, quod inde oriretur, si secun-  
dum processum cambiale erga ipsos procederetur,  
fe

se ita obligare non possunt, ad quos refero praesertim Clericos curam animarum agentes. Quid enim infortunati & mali ecclesiae & reipublicae non immineret, si parochus ob non factam solutionem carceri includeretur? Quamuis igitur *cambial. ordinat. francofurtan.* clericos non expresse a cambiali negotio excludat, potius verba, §. VIII. Soll zwar allen und jeden vniuersalia esse videantur, mea tamen ex sententia parochi cambialiter se obligare non possunt, sub poena suspensionis vel remotionis ab officio. Contra ludimagistros, nec non omnes alias, tam publicarum, quam priuatarum, scholarum praeceptores, aedituos omnesque alias huius generis ministros, ad clericatum quodammodo spectantes, non exceptos esse  
 puto, sub restrictione tamen supra  
 allegata.







KK 698



Rehv 17.8.00 V

V017





28

DISSERTATIO IURIDICA INAVGVRALIS  
DE ILLIS

# QVI CAMBIALITER SE OBLIGARE POSSVNT

PRAESERTIM

secundum Reformationem & Ordinat. cambial. Francofurtensem  
de Anno 1739.

QVAM

EX DECRETO ET AVCTORITATE  
**ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS**  
IN ALMA LVDOVICIANA  
PRO

## LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE CAPESSENDI

D. V. IVNII CICICLXXVIII.

H. L. Q. C

PUBLICO PROCERV M ACADEMIAE EXAMINI  
SUBMITTIT

AVCTOR

IOANNES BUCHNERVS

MOENO - FRANCOFVRTANVS.

G I E S S A E

apud IO. IACOB. BRAVN. Acad. typogr.